



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Dvb. 1. Vtrum intentio boni finis fiat mala ex electione mali medij.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

scientiam, est omnino impossibilis. Vt igitur eam deponat, necesse est, vt vel iudicium illud generale iam retractet; vel certè, vt aliquam circumstantiam in particulari circa se consideret, quam in genere non considerauit; vt, v. g. se habere iustam causam cur sibi liceat, quæ in alijs passim non reperiatur: vel denique vt illud iudicium contrarium non occurrat memoriæ, sed maneat tantum habitu, quando est operandum. Tunc enim, etiamsi habitu teneat esse peccatum, id quod facit, ob auctoritatem concionatoris, vel aliam causam; tamen actu potest iudicare sibi non esse peccatum; idque vel ob alias rationes, vel quia passim fit etiam à bonis, vel quia nulla occurrit ratio cur non liceat. Sed, hoc modo non tam deponitur conscientia erronea, quam non applicatur.

ARTICVLVS VII.

*Vtrum bonitas voluntatis in his  
quæ sunt ad finem, pendeat  
ex intentione finis?*

84 **C**onclusio est, Bonitas volitionis, qua volumus aliquid propter finem, pendet ex intentione finis. Sensus est, Bonitas electionis pendet ex intentione finis. Probat, Quia bonitas electionis pendet ex ordine mediorum ad finem; quia in hoc ordine consistit ratio formalis obiecti: ergo pendet ex fine, & consequenter ex finis intentione. Vbi

*Electio  
pendet à  
fine & ex  
finis inten-  
tione. sed  
diuersi-  
modè.*

Notandum Primò, Quando bonitas electionis dicitur pendere ex intentione finis, sub intentione etiam comprehendi finem intentum; ab utroque enim bonitas electionis pendet: A fine quidem, tamquam à causa formali (ordo enim ad finem est ratio formalis obiecti electionis; & consequenter ipse finis, qui illi ordini speciem tribuit, ratio formalis obiectiua censetur: ) Ab intentione verò tamquam à causa efficiente: electio enim manat effectiue ab intentione; & ita bonitas & malitia intentionis transfunditur in electionem, tamquam in effectum: conditio enim causæ imprimatur effectui: vnde quidquid parit mala intentio, est malum; & quidquid parit bona intentio, est bonum; si tamen aliunde non vitietur.

*Velle ma-  
lum sub  
ratione  
mali, quid  
sit.*

Notantum Secundò, Circa respons. ad 2. & 3. Velle malum sub ratione mali, non est velle malum ob malitiam, secundum D. Thomam (non enim malitia potest allicere voluntatem: ) sed est velle malum ob malum finem; vt velle mentiri, vt frueris. Velle bonum sub ratione mali, est velle bonum ob malum finem. Itaque rationem mali vocat D. Thomas non ipsam malitiam, sed bonum delectabile, vel conueniens naturæ, cui annexa est malitia.

DVBIVM I.

*Vtrum intentio boni finis fiat mala,  
ex electione mali medij?*

85 **N**otandum est, Finem dupliciter posse intendi. Primò, Determinando certum medium per quod consequaris illum. Secundò, Absque

*Finis du-  
pliciter po-  
tèst intendi.*

determinatione certi medij; quod secundum dupliciter fieri potest; Primò, Si eo modo intendas, vt ex vi intentionis paratus sis vt quouis medio, non curando sitne licitum an illicitum. Secundò, Si non eo modo intendas, sed simpliciter sub ratione honesti. Nunc

Dico Primò, Qui ita intendit bonum finem, vt simul determinet prauum medium, illius intentio est praua, non propriè ex electione, sed quia ipsa intentio actu se extendit ad prauum medium, tamquam ad circumstantiam quamdam obiecti: vt si intendas consequi beneficium per simoniam; facere Sacrum absque vestibus benedictis; dare eleemosynam ex re aliena.

Probat, Quia hic actus est tantum actus intentionis, tendens in finem tamquam in suum obiectum, & in medium tamquam in circumstantiam: sicut cum quis vult occidere gladio; in hac volitione non est intentio & electio, sed sola intentio, quæ tendit in occisionem vt in finem, seu in obiectum, & in gladium tamquam instrumentum, quod est quædam circumstantia obiecti. Pari modo cum quis vult dare eleemosynam ex re aliena, est solum vnicus actus intentionis, tendens in largitionem eleemosynæ tamquam in obiectum; & in rem alienam, vt in circumstantiam materiæ.

Dico Secundò, Si quis eo affectu intendat finem, vt paratus sit vt quouis medio; illa intentio est mala, non ratione electionis prauæ superuenientis (esset enim mala, etiamsi nulla praua electio sequeretur) sed ratione modi, quo tendit in finem.

Probat, Quia talis affectus ita tendit in finem, vt implicite & virtute tendat in prauum medium; velle enim omnino consequi finem, est velle implicite omne medium necessarium; & consequenter est velle prauum, si forte sit necessarium.

Secundò, Quia talis intentio vi sua inclinatur ad prauum electionem, si forte bonum medium non suppetat: ergo est praua. Consequentia patet, quia omnis actus voluntarius vi sua, si perseueret, inclinans ad prauum consensum, est malus.

Dico Tertio, Si quis intendat ita bonum finem, vt neque ex vi intentionis inclinetur ad electionem prauum medij, neque simul determinet prauum medium, hæc intentio non fiet mala, quamuis ei coniungatur praua electio. V. g. Intendis dare eleemosynam; sed quando venitur ad executionem, ex ignorantia vel auaritia eligis dare rem alienam; hæc electio est mala, tamen non inficit priorem intentionem.

Probat Primò, Quia talis intentio boni finis secundum se est intrinsecè bona, id est, conformis rationi; quia est obiecti honesti, quæ honestum: ergo electio superueniens non potest eam reddere malam. Consequentia patet; quia quod est naturæ posterius, non potest tollere id quod alteri prius conuenit.

Secundò, Quia illa electio non est circumstantia intentionis, sed merè per accidens ad illam se habet; non enim sequitur ex vi bonæ intentionis, sed aliunde. Quod probatur 1. quia omnis intentio honesta excitat ad prudentem considerationem mediorum (est enim voluntas consequendi huius modo rationi consentaneo: ) ergo

86  
*Finis non  
potest quo-  
uis modo,  
sed debet à  
mensurâ  
affectus, in-  
tendi.*

87

*Prava elec-  
tio non  
potest so-  
qui ex vi  
bonæ in-  
tentionis.*

898

non potest impellere ad electionem pravi medij. 2. Quia prauum medium non potest prudenti iudicio cenferi conueniens ad finem honestum. Tertiò denique, Quia sicut principium verum numquam vi sua est causa conclusionis falsa; sed si aliquando ex eo contingat falsum concludi, id prouenit ex aliquo alio principio ei coniuncto: ita numquam intentio bona vi sua est causa electionis prauæ; sed si contingat aliquem in hoc honesto affectu eligere prauum medium, id non prouenit ex vi huius affectus, sed ex alio affectu ei coniuncto, qui latenter subrepat: qui enim ante honesto affectu voluit dare eleemosynam; priusquam eligat medium illicitum, mutat priorem intentionem, & incipit alia intentione eleemosynam velle; nempe, non quia ratio dicitur, sed quia consentaneum affectui naturali, vel quia speciem habet pietatis; & ex vi huius affectus facit imprudentem electionem. Vnde patet, hanc electionem non esse circumstantiam intentionis honeste, neque ex vi illius proficisci; ac proinde non efficere illam malam.

Dico Quartò, Propriè loquendo praua electio numquam inscit bonam intentionem. Sequitur ex dictis: Intentio enim natura sua est prior electione; vnde si ipsa ex se mala non sit, non potest effici mala per electionem superuenientem. Quare, etsi bonitas electionis pendeat ex bonitate intentionis, non tamen bonitas intentionis tollitur prauitate electionis.

D V B I V M. I I.

*Virum malitia electionis & operis minuat per bonam intentionem?*

88  
Dua sententia extrema.

Sunt duæ sententiæ extremæ: Prior est, Bonam intentionem omnino excusare peccatum. Ita sentit Auctor Operis imperfecti apud Chrysostr. tom. 3. hom. 19. in Matth. explicans illud: *Omnis arbor bona. Ex bono proposito, etiam quod videtur malum, bonum est; quia propositum bonum, malum opus excusat.* Et infra: *Sicut ergo bonorum hominum omnia opera etiam mala, bona sunt: ita malorum hominum omnia opera, etiam bona, mala sunt,* &c. Idem senserunt aliquot antiqui DD. speciatim de mendacio; vt Abbas Ioseph apud Calsianum, collatione 17. cap. 17. & seqq. vbi docet, *Vtendum mendacio tanquam helleboro; sicut enim vsus hellebori, dum necessitas postulat, est salutarius; extra verò necessitatem noxius; ita vsus mendacij in necessitate, si fiat bona intentione, esse bonum; extra necessitatem, malum.* Quam sententiam primus docuit Plato lib. 3. de Repub. dicens, *Deo quidem mendacium esse indecorum & inutile; hominibus tamen quandoque esse vtile, vt eo tanquam medicamento vtantur.* Ab hoc hausit Origenes in Epist. ad Gal. Ab Origene multi alij, præsertim Græci, & D. Hieronymus in eadem Epistola (vt videtur) quod etiam ei impingit Augustinus Epist. 8. cap. 3.

Alterâ sententia est, bonam intentionem nullo modo minuere malitiam operis. Ita communiter tenent Doctores, ait Almainus tract. 1. Moral. cap. 12. dub. 2. quod intellige de Doctoribus Parisiensibus illius temporis.

Respondeo & Dico Primò, Certum est, non omne quod secundum se, seu solitariè malum est,

posse per bonam intentionem excusari, ita vt desinat esse peccatum.

Probatur Primò, Ex Scriptura, Ecclesiastici 34. *Immolantis ex iniquo, oblatio est maculata.* Et infra, *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris.* Hic videmus intentionem honoris diuini non excusare opus ex se prauum. Ad Rom. 3. dicit Apostolus iuste damnari eos qui dicunt, *Faciamus mala, vt eueniant bona.*

Bona intentio non semper excusat electionem.

Eccles. 34.

Rom. 3.

Secundò Probari potest ex Patribus, Qui docent ob nullam causam licitum esse mentiri. Citat hos Gratianus 22. quæst. 2. Idem multis argumentis ex Scriptura docet D. Augustinus duobus libris, altero de mendacio, altero contra mendacium. Libro de mendacio cap. 14. ponit octo gradus mendaciorum, & ostendit nullo horum licere vti. De quibus vide D. Thomam 2. 2. q. 110. art. 2. & 3.

D. Augustinus.

Tertiò, Probatur ratione, Quia multa sunt intrinsecè mala (id est, in quorum conceptu formaliter includitur repugnantia cum recta ratione) atqui certum est hæc nullo modo posse fieri bona; neque per necessitatem quantumuis grauam, vel per bonam intentionem posse excusari: ergo &c. Maior patet de fornicatione, adulterio, mendacio, &c. hæc enim omnia in suo conceptu includunt aliquid rationi repugnans. Minor patet, quia quod in conceptu formali continetur, non potest appositione finis extrinseci, vel alterius circumstantiæ, tolli.

Intrinsecè mala nullo sine vel modo bonè fieri possunt.

Aduerte tamen, Multos esse actus, qui etsi per se, id est, solitariè, mali sint; tamen quia non sunt intrinsecè mali, sed solum alicuius circumstantiæ defectu, possunt appositâ circumstantiâ fieri boni; vt habere plura beneficia, occidere hominem, capere alienum: tale putabant isti Auctores esse mendacium; sed fallebantur, quia mendacium alia ratione dicitur per se malum; scilicet quia intrinsecè malum est.

Mendacium est intrinsecè malum.

Dico Secundò, Etsi bona intentio non tollat omnem malitiam actus intrinsecè mali, tamen eam minuit. Est communis sententia Doctorum.

Bona intentio minuit malitiam.

Probatur ex D. Augustino lib. contra mendacium cap. 8. Dicit aliquis, ergo aequandus est fur qui latet ei furi, qui misericordie voluntate suratur; quis hoc dixerit? sed horum duorum non ideo quisquam est bonus, quia peior est vnus; peior est enim, qui concupiscendo; quam qui miserando suratur. Et infra. *Stuprum grauius est, luxuria, quam misericordia parare.* Simili modo Loth non nihil excusatur a Patribus; quod filias ad stuprum obtulerit; quia id fecit bona intentione; ad grauius incommodum vitandum.

Ex Augustino.

Qui suratur vt primum grauius est, luxuria, quam misericordia parare, det eleemosynam.

Loth exponens filias vitandum.

Ratio est. Primò, quia opus malum consideratum vt subest fini honesto, subit quandam honesti speciem, & ex parte tegitur eius turpitudinem, vt non ita appareat; quò fit, vt quando appetitur, sub imagine honesti appetatur, & consequenter vt eius turpitudinem sit minus voluntaria; quia quod minus apparet, minusque cognitum est, minus est voluntarium. Adde, fieri posse vt eo modo tegatur turpitudinem specie finis honesti, vt ab operante non possit aduerti; & tunc nullum est peccatum; quia turpitudinem nullo modo est voluntaria.

Prob. Ratione.

Quia sic tegitur turpitudinem.

Secundò, Quando opus malum appetitur propter aliquod bonum, magis appetitur illud bonum,

Et magis appetitur bonum quam malum.

89